Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25976
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et apparere extrinsecus. Item ad remedium foris ad exemplum. Nam ut iam dictum est, meror est dolor intus acrius seviens, et per lacrimas foras erumpens. Sicut ergo columba seducta et non habens cor omnino non sumus, si absque consilio et sine providentia non existimus. Probemus in opere quam vere dolemus in corde, et appareat extrinsecus quid patiamur intrinsecus. Ut autem inde dicam quod sentio, in his verbis causam pro effectu positam existimo. In eo enim quod dicitur: omne cor merens, effectus ex causa ut arbitror tacite innuitur. Sed cum causam pro effectu positam invenimus, magis quod ex ipso sit quam quod ipsum sit quod ponitur per expositionem vel diffinitionem querere debemus. Secundum hanc considerationem quid aliud est meror nisi lacrimarum effusio, visusque hebetudo? Assidua namque lacrimarum effusio aciem oculorum corrumpit, et eum caligare facit. Recte ergo dicitur quia omne cor merens, quia ad omne consilium rationis acumen hebet. Hic est illud sapientis preceptum vel documentum: Noli inniti prudentie tue. Ignorat namque homo quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis sue, et tempore quod velut umbra preterit. Nisi namque interior ille oculus caligaret, totiens procul dubio in veritatis iudicio minime erraret. Unde queso contraria consilia tam sepe tamque diverse sententie, non dicam de diversis, sed de uno eodemque corde, et pene sub eodem tempore, unde inquam nisi de cordis caligine et veritatis ambiguitate?

hebet.

De gemino errore iudicii.

Duobus autem modis in iudicii nostri examine peccamus, dum adhuc frequenter substante ambiguitatis nubilo viam capimus. Erramus namque modo in discernenda qualitate, modo in examinanda quantitate. Qui dicit bonum malum vel malum bonum, in rerum qualitate errat; et qui dicit quod maius est esse minus, et quod minus est esse maius, in quantitate peccat. Qualitas operum profecto eos fefellerat quos propheta arguebat cum diceret: Ve qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum. In quantitatis examinatione error ille esse deprehenditur quem propheta redarguit cum dicit: Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Ad hoc sane aliquid in statera appenditur, ut eius quantitas non ignoretur. Sic auri sic argenti pondus querimus, ut eorum precium recte estimemus. Sed nemo in statera mendax esset, si nemo alium deciperet, si nemo ab alio deceptus fuisset. Hic est illud quod per sapientem dicitur: Statera dolosa, pondus et pondus, utrumque abhominabile est Deo. Quo contra in lege precipitur: Sit iustus modius, equusque sextarius. Hic est quod filius Israel cum promissam hereditatem accepit, unicuique (?) illam in funiculo distributionis dividit, ut unaquaque virtus in sua actione iuste equitatis mensuram teneat, et recte discretionis metas minime excedat. Quis enim inveniat hominem qui numquam erret in estimatione qualitatis aut quantitatis? qui numquam circumveniatur a negotio perambulante